

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXVII. Qualiter homo veram sanctitatem obtineat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

CAPUT XXXVII.

QUALITER HOMO VERAM SANCTITATEM OBTINEAT.

SABBATO quodam. dum *Salve sancta Parens* cantaretur,
 salutans beatam Virginem orabat ipsam veram sibi ob-
 tinere sanctitatem. Cui gloriosa Virgo respondit : « Si
 veram cupis sanctitatem, tene te ad Filium meum, qu
 est ipsa sanctitas omnia sanctificans. » Ipsa autem cogitante
 quomodo hoc ficeret, benignissima Virgo respondit :
 « Tene te ad ejus sanctissimam infantiam, desiderans ut
 omnia pueritiæ tuæ commissa et neglecta, per ejus innocen-
 tissimam pueritiam suppleantur. Tene etiam te ad ejus fer-
 ventissimam adolescentiam, qua floruit in flagrantissimo
 amore, ita quod in eo solo ignis divini amoris sufficientem
 habuit materiam ; ut omnis teper et accidia tuæ juventutis
 per eam reparetur. Tene te etiam ad divinas ejus virtutes,
 quatenus in eis tuæ virtutes nobilitentur et extollantur.
 Secundo, tene te ad Filium meum, omnes cogitationes, verba
 et facta tua in ipsum dirigendo, ut omnia imperfecta cogita-
 tionum, verborum et operum tuorum per eum deleantur,
 qui nunquam in his deliquit. Tertio, tene te ad ipsum, sicut
 sponsa ad sponsum suum, quæ ex bonis ejus cibatur et ve-
 stitur, et quæ amore sponsi amicos ejus et familiam diligit
 et honorat. Sic etiam anima tua verbo Dei velut cibo optimo
 alatur, et ex deliciis ejus, hoc est, exemplo virtutum ejus quas
 imitari debet, quasi vestibus atque ornamentis, decentissime
 componatur. Ad familiam etiam suam, id est, ad Sanctos
 tene te, ipsos diligendo, et pro eis Deum laudando, et ipsos
 ad Dilectum, ut eum tecum simul collaudent, saepius diri-

Qui cupid
sanctitatem
ad Christum
se teneat.

Item ad
familiam
Christi, seu
Sanctos.

gendo ; et sic vere sancta eris, secundum quod scriptum est :

Cum sancto sanctus eris (PSAL. XVII. 26.) sicut regina ex sui regis consortio regina erit. »

Cum autem in Sequentia *Ave Maria* cantaretur, *Salvatoris Christi templum exstitisti*, admonuit beatam Virginem quod ipsa fuit gloriosissimum, luminosissimum et deliciosissimum Dei templum. Tunc beata Virgo, apprehendens manum ejus, deduxit eam ad domum pulcherrimam, quadratis lapidibus altissime constructam, nullam habentem fenestram, et tamen intus lucidissimam, habentem januam parvam ex jaspide rubeo et denso factam, et auream in ea catenulam. Hæc domus glòriosam Virginem Mariam figurabat; quadrati vero lapides notabant quod in quatuor elementis ex quibus homo constat optime temperata fuit; in altitudine et in luminositate intellexit quod fuit altissima contemplatione, luminosissima cognitione. Per ostium, ejus misericordia exprimebatur, quæ omnibus ad se venientibus patet; per rubeum jaspidein, ejus mira patientia ; per catenam quoque auream, dilectionem. Dixitque ad eam : « Si talis domus Dei effici desideras, in his virtutibus te exercere studeas. »

Gloriosa autem Virgo habebat in dextra sua quatuor annulos gemmis optime insignitos, posuitque dextram suam supra pectus animæ dicens : « En gemmis his omnia tentationum genera superabis : omnis tentatio autem a quatuor vitiis oritur ; scilicet superbia, ira, luxuria, et accidia. Si ergo inflaris superbia, oppone tibi humilitatem meam devotissimam ; si vero ira molestaris, recole mansuetudinis meæ, quia supra omnes mitis eram ; quod si luxuria infestaris, recurre ad castitatem meam sanctissimam ; et si accidia tentaris, ad serventissimum amorem meum confugias : sicque omnem inimici virtutem propulsabis. »

Domui
pulcherri-
mæ
B. Maria
assimilatur.